

tolerabiles, mox ad emissos flatus cessantes. Vid. (220. ad 227. & 631. 634.) Ad haec autem vis febris accedens inexplicabilia certe tormenta facit.

650. Curatio hujus mali fit 1. auferendo materiem (647.) per diluentia; calida aquosa leviter aromatica dissipantia; salivum aequilibrium tollentia in requisitum praeponditum; putredinem corrigentia; fermentationem sedantia. 2. Convulsiones sedantia; lenientia acrum, compescentia spiritus, hoc revocanda. Quorum princeps opium, & lenia antihysterica. 3. Clysmatibus, fomentis, epithematisbus, calidis laxantibus, anodynisi, leniter aromaticis, ut & cucurbitis, sine scarificatu abdomini impositis.

651. Ex his ipsis (646. ad 651.) respondeatur ad haec, aliter obscura, quaesita: qui cibi, potus, venena, medicamenta flatulenta sint? Cur vacuis visceribus primis accidentunt? Cur vulneratis? Cur arcte constricto abdome? Cur hypochondriacis, hysterics, convulsis, colicisque accidentunt?

## VOMITUS FEBRILIS.

652. Vomitus, expulsio violenta contentorum ventriculo primo,  
K dein

dein etiam intestinis, tandem visceribus eo se evacuantibus, agnoscit convulsionem fibrarum muscularium faucium, oesophagi, stomachi, intestinorum, diaphragmatis, muscularum abdominalium, pro causa proxima; pro remota omne id, quod irritando fibras descriptas, vel facile convellenda viscera, stimulat.

653. Ergo vitio stomachi convulsi, inflammati, suppurantis, scirrhosi, cartilaginosi, accidente febre acuta, aliquando accidit, pertinax est, ex idea ejus mali cognoscitur, eoque sublato demum tollitur: de quibus postea.

654. Vitio viscerum, & partium circumiacentium, similiter affectorum, distento per ingesta stomacho irritatorum idem totius incognita causa pertinacissimus accidit, accidente febre.

655. Vitio omnis causae majoris nauseae; (642.) unde cognoscitur, dirigitur, curatur.

656. Si permanet, producit atrophiam, ileum, convulsiones, & effecta nauseae majoris, & pertinacis. (643.)

657. Si vitio causae (653. 655.) acciderit, curatio ex historia illorum morborum petenda.

658. Si a causa (642. 655.) oritur, remedia eadem (644.) hoc in usum revocanda

da diligenter, maxime opia, & epithemata corroborantia, attrahentia, dissipantia.

659. Hinc liquet ratio difficultatis sistendi vomitus in multis febribus acutis: tum falsitas & periculum regulae, *vomitus vomitu curatur*: Cur saepe sudorifera vomitum tollant, ut in peste; cur saepe sistatur ille facta crisi, ut in variolis? Cur saepe missu sanguinis, ut in acutis inflammatoriis? Cur, quibus initio febris acutae vomitus perpetuus sine causa inflammatoria, diarrhoea pro crisi, quae caveatur dato in principio morbi emetico? Cur vomitus omnis ingesti, statim ac receptum est, pessimus in acutis fit? ex iisdem Singultus nasci, & sanari potest.

### DEBILITAS FEBRILIS.

660. **D**ebilitas ingens sequitur impedimentum influxum & pressionem liquidii nervosi in musculos.

661. Quod impedimentum ab inanitate vasorum, exhausto liquido, ab immeabilitate liquidii, obstructione canalis, compressione hujus, maxime circa originem suam in cerebro & cerebello, debilitate cordis.

662. Priorem causam demonstrant symptoma-

K 2

ptoma-